



The Holy See

PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE*POPULI DEI**TITULUS AC PRIVILEGIA BASILICAE MINORIS
SANCTUARIO

BEATAE MARIAE VIRGINIS, VULGO «NOTRE-DAME DE BUGLOSE»,
INTRA FINES DIOECESIS ATURENSIS POSITO, CONFERUNTUR.

Ad perpetuam rei memoriam. — Populi Dei concursibus frequens et artificiosis operibus nobile Sanctuarium Beatae Mariae Virginis, « Notre-Dame de Buglose» vulgo appellatae, quod finibus Aturensis dioecesis continetur, meritis celebratur praeconiis. Alacre pietatis studium, quo Christifideles in Deiparam, nomine illo insignem, feruntur, a saeculo XVII repetitur, quo, uti memoriae est proditum, statua eiusdem Dei Genetricis in palude est inventa. Cuius honori aedes sacra fuit constituta. Deinde venusta illa et praeclara effigies in ecclesiam, templo quod nunc conspicitur et saeculo praeterito est conditum, priorem, fuit translata. In hac recentiore igitur religionis amplissima sede eadem nunc est proposita, ubi piorum animos singulari quadam vi ad se convertit. Eidem Sanctuario continens est monasterium, quod dicitur, Missionariorum dioecesanorum, qui fidelibus spirituales adhibent curas, ac domus, in qua sacrorum administris copia datur spiritualibus vacandi exercitationibus. Hoc ergo Sanctuarium, quod in finitimas etiam regiones spirituales fructus ubertim effundit, dignum sane est, quod peculiari cum benevolentia respiciamus. Qua mente ducti, votis Venerabilium Fratrum Avenionensis, Bituricensis atque Rhedonensis Archiepiscoporum, necnon Auxitani, Tarbiensis-Lapurdensis, Lucionensis atque Valleguidonensis Episcoporum simul exceptis, preces Venerabilis Fratris Roberti Bézac, Episcopi Aturensis et Aquae Augustae, libenter admisimus, qui Nos rogavit, ut ecclesiam illam Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Quae cum ita sint, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctuarium Beatae Mariae Virginis, «Notre-Dame de Buglose» nuncupatae, ad dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae templis hoc titulo honestatis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, deeerentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ac quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die II mensis Augusti, anno MCMLXVI, Pontificatus Nostri quarto.

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 3, pp. 216-217

© Copyright 1966 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana